

Heinrich Müller

**Rector Universitatis Rostochiensis D. Henricus Müller/ Theol. Prof. Ordinarius ...
Ad Natalem Dei in carne manifestati devota pietate celebrandum, Cives
Academicos omnes & singulos serio hortatur & invitat**

Rostochi[i]: Kilius, [1663]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735638799>

Druck Freier  Zugang



RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
D. HENRICUS

Müller /


Theol. Prof. Ordinarius, Facul-
tatis suæ hodie Decanus & ad Div.
Mariæ Pastor.

Ad

NATALEM DEI

in carne manifestati devota
pietate celebrandum,

Cives Academicos omnes & sin-
gulos serio hortatur & invitatur.



Rostochl, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.



Enesia hoc tempore celebramus non
Monarchæ alicujus aut Dynastæ secula-
ris, qualia olim inter ludos & spectacula,
sive Romanorum sive Græcorum tem-
poribus, solemniter fuisse observata, an-
nales varii prodiderunt: sed ejus, qui ADMIRABILIS
est, juxta vatem Evangelicum c. IX, v. 7. Vere ADMI-
RABILIS, ἀμύτωρ in cœlis, ἀπάτωρ in terris, DEUS de
Patre, homo de matre, de matre sine patre, de patre
sine matre, de patre sine tempore, de matre sine virili
semine. Legas in Historiis, Ancum Martium genitum
sine genitore, & Tullum ex Ocrisia sine satore satum.
Sed figmenta hæc sunt, & stuprorum in magnis perso-
nis velamenta. Unicum Servatorem nostrum hæc
decurit gloria, ut ἀσπίτως sine Viri opera inperscrutabili
Spiritus S. operatione supra omnem naturam conce-
ptus in lucem ederetur. Vere ADMIRABILIS, natus
de matre semper-Virgine. Virgo mater est & ante
partum, & in partu, & post partum, syderis ad instar,
quod sine sui corruptione suum emittit radium, ut loqui
amat Bernhardus Homil. II super missus est. Vere AD-
MIRABILIS, qui factus est quod non erat, nec tamen
esse desiit quod erat; qui sine corpore erat, corpus
induit; qui sine tempore erat, esse incipit; ad quem ad-
scendere non poteramus, ipse ad nos descendit; ad
mortuos vita, ad damnatos salus. Hominem assumit,
DEUM tamen non abjicit. Homo namq; ad DEUM
accessit,

accessit, ut scribit Augustinus, *DEUS* à se non recessit,
nec hominem consumpsit, sed ita assumpsit, ut nec inferiorem,
naturam consumeret glorificatio, nec superiorem minueret
assumptio. Quis non miretur in Majestate humilitatem,
in virtute infirmitatem, in æternitate mortalitatem,
in *DEO* hominem, in homine *DEUM*? Ut nihil nunc
dicam de admirabili duarum naturarum realiter & es-
sentialiter diversarum in persona Servatoris unione,
earumq; intima ac realissima *ὑπεχώρησις*, qua humanitas
in complexum personalem à *λόγῳ* suscepta minime vel
in substantiam Deitatis conversa vel prorsus abolita pe-
riit, sed intime recepit *τὸν λόγον* per arctissimam immea-
tionem Deitatis in carnem, ut ex duabus naturis una
facta persona tota Deitas totam carnem totaliter un-
diq; repleat & circumplectatur, totaq; personaliter
tantum in hoc corpore sit, & non extra illud ullo mo-
do, ita communicans & se totam, & omnes proprie-
tates suas essentielles illi corpori quod assumpsit, ut De-
itate particeps factum, citra confusionem essentialium,
& essentialium Deitatis idiomatum in carnem transfu-
sionem, realiter tum in se Deificatum sit, atq; plenum
Deitatis, tum ex se radios immanentis Deitatis emittat,
& operetur non participatione quadam vel gratiosa
vel gloriosa, sed quia possidet personaliter *ὑπεχώρησις* in-
tima totam Deitatem *ἔν λόγῳ*, qui per hanc, & in hac
& cum hac carne sua sibi præsentissime præsentis actu
operatur propter mutuam istam immanentiam ex im-
meatione

meatione Deitatis profectam originaliter. Certe ma-
gnum hæcce ^{ἁγιωσύνης} est pietatis mysterium *ITim. III,*
16. in quod ipsi Angeli ^{ἰδεῖν}, vel introspicere gesti-
unt. *I Pet. I, 12.* Vere ADMIRABILIS, idem mini-
mus & maximus, pauperrimus & ditissimus, abjectis-
simus & gloriosissimus; lux splendidissima sed densissi-
mis immerfa & vestita tenebris; Verbum Patris non
desinens prolatum, sed permanens natum, loqui ta-
men inter homines discens; fons aquæ vivæ sitiens,
Angelorum panis esuriens. Ecce, qui summa cœli
templa sonitu terribili concutit, potentia tremendus,
carnis humanæ infirmitatem induit; cujus manus cœ-
lum, quoquo versus patet, velut pellem extenderunt,
astrorum multitudine & splendore exornârunt, terræ
molem vastissimam, & quicquid in ea montium, ar-
borum, animalium vides, ex nihilo crearunt, opifex
naturæ universæ admirandus, creaturæ sortem calami-
tosam subit; cujus cœlum thronus est, & terra pedum
scabellum, cujus nutui quicquid est in utroq; assur-
git & famulatur, ad cujus faciem purissimæ mentes
Angelicæ oculos obvelant, ex summo Majestatis suæ
fastigio in abjectissimam servi vilissimi paupertatem
sefe demittit, imo tenellus nascitur puer, ac filius ho-
minis factus fasciis involvitur, in stabulo ac præsepi re-
ponitur. Non hic aurata tricliniorũ laquearia, nō peri-
stromata & sonantes auro thori, aut quicquid superba
Regũ Magnificentia oculis objicit; gestatur ut parvulus,
qui adoratur ut Deus; parvulus in præsepi, qui immensus
in

in cœlo; vilis in pannis, qui gloriosus in astris. Non Virgo mater lasciviuscule atq; ad invidiã ornata incedit armillis, monilibus, cirris & caliendris, non in vestib⁹ conchyliatis aut crocotulis triumphat, ut delicatulae nostrae, quae inferunt nubibus capita, & sublimi feriunt sidera, vertice: omnia hic humilitatem spirant incredibilem. Humilitate placuit, inquit Bernhardus, quae virginitate concepit. Vere ADMIRABILIS, qui offensus ipse fit mediator noster, ipse carne assumpta de seipso offensae nostrae æquivalentem sumit satisfactionem, ipse hominis formam assumit, ut in nobis amissam DEI imaginẽ instauraret. Ipse homo nascitur, ut nos in Adamo denatos nativitate sua natalibus restitueret. Annon liceat hic cum Gregorio exclamare; *ô felix culpa, quae talem actantum habuit defensorem?* Stupet hic mens, stupent ipsi Angeli, quando vident æternum DEUM carnem de carne nostra factum, in nostrum gratiam, qui perditissimi eramus, DEIq; infensissimi hostes, digni certe, qui cum diabolis, quorum stipendia merueramus, æternis mactaremur suppliciis. Recolite, quae unquam contigisse legitis in sacris miracula, undam in sanguinem conversam, mare diffugiens & aquarum quasi montes in eo aggestos, mœnia Hierichuntis ad solum tubarum clangorem collapsa, Solis & Lunae motum ad mandatum Josuæ quasi sufflaminarum, & quae sunt alia; superat certe omnia Mysterium magnum, *DEUS est manifestatus in carne, qui est Jehova benedictus in secula.* Nobis

Nobis hic datus est, nobis natus ADMIRABILIS. *Nobis*, non sibi, qui ante tempora natus ex patre, nasci in tempore non indigebat ex matre: *Nobis* non Angelis, qui cum magnum haberent, parvulum non requirebant: *Nobis* natus, nobis datus, quia nobis necessarius. Si enim homo non periisset, filius hominis non venisset. *Nobis* venit ADMIRABILIS, ut viam præiret per ima ad summa, per crucem ad lucem, per militiam ad triumphos. *Nobis* adest CONSILIARIUS, ut in obscuris consilii facem præferat, & in Syrtibus viam expediat. *Nobis* præsto est DEUS, ad id descendens in limum, ut homo limus adscenderet in DEUM. *Nobis* datus est FORTIS, ut præsidii quicquid requiritur ad tuendam salutem nostram, inveniamus in ipso, quando cunq; nos vires destituunt mundanæ. *Nobis* natus PATER ÆTERNITATIS, qui paterno nos complecteretur affectu, & felicitatis æternæ bearet effectu. *Nobis* venit PRINCEPS PACIS, ut æternam cum DEO, irato quondam, pacem conciliaret, internam in conscientiis pacem innovaret, & externam cum proximo imperaret.

Adeste ergo, *Cives Academici*, beneficium coelitus vobis exhibitum agnoscite & cum Angelicis Cantoribus GLORIA IN EXCELSIS intonate. Sed pectus afferte purgatum probe ab omnibus malarum cupiditatum inquinamentis. Gentilium antistites sacra facturi olim alta voce ingeminabant; *Procul, procul este profani.*

prophani. Sublimiora nulla sunt sacra, quam hodierna Genethliaca. Procul, ergo este *delicatuli*, qui maximam dierum horum sacrorum partem corporis destinatis saginæ & commestationibus. Procul este *arrogantes*, qui inflati cristas erigitis, vobisq; illegem quandam vivendi licentiam imaginamini. Procul este *inverecundi*, qui compitatum grassamini, & stentoriis vestris clamoribus sanctissima aliorum gaudia turbatis; qui, nil nisi ordinis studiosi dehonestamenta, præ foribus ordinarii Tabellariorum Magistri, scurrarum instar, detestandam verbis factisve exercetis petulantiam. Profani estis, qui non in obsequio, sed parendi dedignatione gloriam vestram quæritis. Notis, quid publicaverit hanc in rem Senarus Academicus Dom. IV Adv. Ann. 1661. *Monemus*, habent verba, omnes serio, ut nemo impostero Sabbathum deformet, Tabellariorum Magistro, rebusve eius ulla ratione incommo- det, aliisq; negotiis illicitis operam navet, sed quisq; potius subinde recogitet, quid Leges statutaq; in qua adacti sacramento estis, præcipiant, quid commonefactiones nostræ salubriter inculcent, quid deniq; ordinis literati honestas præscribat, à quo omnem lasciviam & ferociam alienam esse oportet. Quod si quis contra venerit, non sane inultum id feret: daturi enim operam sumus, ut sua quemq; ex meritis præmia maneant; nec habituri ullo discrimine, sive Tros ille, seu Rutilus fuit. Renovamus impræsens admonitionem hanc paternam, & bonos si qui sunt ac
fani-

laniores, quorum pars semper minima esse solet, hortamur atq; obtestamur sedulo, ut sibi caveant ab istis, queis horribicos excitare tumultus & in omne improbitatis gen⁹ conspirare volupe est, ne iisdem peccatorum laqueis irretiti easdem cum ipsis incurrant pœnas. Certe non impune laturo sunt, qui deliquerint, sed vindice tam DEI quam Magistratus manu comprimuntur & coërcebuntur.

Hoc agite, ad quod agendum vos invitat hæc festivitas. Vos totos piis meditationibus devovete, DEI præceptis & Academiae legibus conformes vivite, pias laudes Servatoris nato sobrii lætiq; solvite, Deumq; ardentissimis fatigate suspiriis ut Ecclesiae suæ afflictissimæ contra Turcam ad sistere, hostica arma & consilia confringere, pacemq; rerum optimam, bonisq; omnibus desideratam clementer restituere velit.

P.P. sub sigillo Rectoratus d. 25. Decemb.
Ann. 1663. cujus exitum pariter & ingressum novi anni utriq; hujus urbis Reipubl. auspiciatissimum ex animo precor.



prophani. Sublimiora nulla sunt sacra,
Genethliaca. Procul, ergo este delin-
mam dierum horum sacrorum parter-
natis saginæ & commestationibus. In-
gantes, qui inflati cristas erigitis, vobis
dam vivendi licentiam imaginamini.
inverecundi, qui compitatum grassa-
torii vestris clamoribus sanctissima
turbatis; qui, nil nisi ordinis studiofi-
ta, præ foribus ordinarii Tabellarioru-
rarum instar, detestandam verbis fa-
petulantiam. Profani estis, qui non i-
parendi dedignatione gloriam vestra-
stis, quid publicaverit hanc in rem S-
cus Dom. IV Adv. Ann. 1661. Monem-
omnes serio, ut nemo impostero Sabbath-
bellariorum Magistro, rebusve eius ulla
det, aliisq; negotiis illicitis operam navet.
subinde recogitet, quid Leges statutaq; in-
mento estis, præcipiant, quid commonefa-
lubriter inculcent, quid deniq; ordinis lite-
scribat, à quo omnem lasciviam & feroc-
oportet. Quod si quis contra venerit, ni-
id feret: daturi enim operam sumus, ut
ritis premia maneant; nec habituri ullo-
Tros ille, seu Rutilus fuit. Renova-
admonitionem hanc paternam, & bo-

dierna
maxi-
desti-
arro-
quan-
este
sten-
audia
amen-
i, scur-
ercetis
o, sed
. No-
ademi-
verba,
et, Ta-
ommo-
potius
i sacra-
fra sa-
as præ-
messe
ltum
ex me-
sive
ræsens
sunt ac
fani-

